

1305

D O G M A T I C I.

1306

DLXXXII.

U. 427 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 171. f. per duas columnas multis compendiis, ut solebant Scholastici, scriptus, coloribus distinctus, et Collegio Ducali olim donatus a *M. Petro de Pirchenwart* continet I. Tractatus dogmatici de *Unitate et Trinitate Dei* Fragmentum Sec. XIII. nitidissime exaratum, quod incipit: *Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita egypti ab homine usque ad pecus &c.* Abrumpitur fol. 4. Acutus sane dialecticus fuit Autor, neque *Lombardi* via processit. Post annum 1207. scripsisse innuit non semel citatus ab eo *Magister Praepositivus*, qui eo anno Cancellarius *Parisiensis* dicitur ab *Egass. Bulaeo* in *Hist. Univ. Paris.* T. III. p. 706. et *Summam* theol. elaboravit, ut pluribus habes in *Fabric. Bibl. med. Lat. I. XVI. b. v.* Nostri nomen fortasse cum fine Tractatus excidit.

II. fol. 5. Incipit primus liber (in Magistrum Sententiarum) *Guarre*. Illustrem hic in arena theologica *Oxonien*si et *Parisi*na pugilem, eoque nomine notandum habemus, quod *Johannem Scotum* Ordinis sui discipulum nactus fuerit, *Guilelmum* ab Oppido natali *Waria* (Ware) in Comit. *Hertford.* de *Warra*, *Guarra*, *Guarronis*, *Varronis*, quin *Verum* et *Varrilonum* dictum. Docuit is *Parisi*sis post Sec. XIII. medium, ut habes apud *Tannerum*, *Fabricium*, *Waddingum*, quem *Oudin*us confectis

jam, antequam Catholicos defere-ret, *Commentariis* suis postmodum, ut se novis *Συμπλοκ*is adprobaret, convitia passim inferciens T. III. col. 568. mendaciter scripsisse ait, *Guilelmum* a *J. Pico Mirandul.* in *Apologia* sua adpellatum fuisse *excellentem Doctorem, Ecclesiae lumen, fidei propugnaculum*, mendax ipse, nam haec *Elogia* in edit. *Opp. Pici Basileae per Heinr. Petri* 1557. f. fol. 159. pag. 1. non nisi caecum effugere possunt. Verum isthaec odiosa mittamus. Initium *Commentarii* nostri est: *Quoniam testante beato augustino 8. de civ. dei c. 8. finis ideo finis dictus est, quia propter hunc cetera uolumus &c.* Liber II. fol. 77. p. 2. sic incipit: *Circa secundum librum queritur primo, utrum multitudo creaturarum possit esse in mente ab uno principio &c.* Liber III. fol. 127. *Circa tertium librum queritur primo, utrum incarnatio sit possibilis, quia enim incarnatio est quedam unio &c.* Liber IV. fol. 147. p. 2. *Circa quartum librum queritur primo, utrum sacramenta possint efficere &c.* Extrema sunt: *sicut accidens affligit suam speciem in uirtute substantie. Explicit 4. liber Varronis qui fuit Magister Scoti sue doctoris subtilis.* Unde etiam ad ejus *Sepulcrum Coloniae* inter XIV. Doctores nomen suum aeri incisum habet.

DLXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2023 XIV. Folior. 58. 4. per duas columnas commode scriptus, rubricis

cis distinctus, et quondam fratrum Carthusiensium iuxta pragam extra muros sequentia continet: I. *Tractatum*, ut e calce adsumo, de *Anima*. Init: *Honorius papa dicit in mappa mundi: Miserum est res propter nos factas cottidie spectare &c. Honorium Augustodunensem* puta, et *Mappam* ejus *Imaginem Mundi*. Verba porro citata non *Honorii* sed *Christiani* sunt in *Epistola Imagini* praefixa ad *Honorium*, si quidem recte habet *Editio T. XX. Bibl. PP. Lugd. p. 966*. Sequuntur in *Codice Sententiae Avicennae, Themistii, Averrois* et *Boethii* de *Anima*, et mox totius *Tractatus Oxonovm* videlicet: *quot sint anime. quia tres. Vegetabilis in plantis. Sensibilis in brutis. Rationalis in hominibus. Et quot sint potencie et vires ac operationes cuiuslibet anime. et que potencie sint apprehensue deintus. et que deforis. Et que sint apprehensue tantum. et que apprehensue et motive. et que sit cuiuslibet potencie ac virium eius operacio specialis. et in hoc consistit huius materie tota virtus*. Atque haec ab alio *Tractatui* praefixa fuisse, dubium non est. Ipse deinceps inscribitur mi-

nio: *Hic incipit tractatus de cognitione Anime et suarum potenciarum generalis*, et init: *Quid sit anima seu diffinico. Nota. Remigius sic diffinit eam. Anima est substantia incorporea regens corpus &c.* Plura dixi; puto enim nos hic tenere *Librum de Anima Honorii Augustod.* quem diserte adsignat *Tritheimius de Scriptt. Eccl. n. 357.* et distinguit a *Dialogo ex opusculis Augustini*, sive, ut *Honorius ipse L. IV. de Luminarib. Eccl. c. 17.* adpellat, *Quibusdam de Anima et de Deo de Augustino excerptis sub Dialogo exaratis*, quamvis in his distinguendis lapsum fuisse *Tritheimium*, adseruerit *Bern. Pezsius in Dissert. Isag. in T. II. Thes. Anecd. p. 10.* motus, ut videtur, *Honorii* ipsius *c. 17. suprae.* silentio, quod nihil probat, ipso *Pezio p. 5.* testante, *Honorium* post edita *Luminaria Eccl.* plura scripsisse, quae proinde ibi in censum venire non poterant. Finit *Liber: Eodem modo anima in centro cordis existens vivificat totum corpus.* Subjecit *Vericulos* verisimiliter idem, qui praefatus est:

*Hic Animam nosse, si vis, dabitur tibi posse.
Hac in Scriptura lege, sitque frequens tibi cura.
Partem post partem capias, sic percipis artem.
Est scelus immensum (proprium?) non noscere sensum,
Cum per eum vivas, corpusque tuum sit ei vas.*

II. fol. 7. sequitur *Tractatus ἀδεσποτος de Purgatorio* in Rubricas divisus, quo agitur de *Loco*, generibus *Hominum* illuc descen-

dentium, et *Modis* eos juvandi, inspersis multis *Narratiunculis*. Initium est: *Commemoracio omnium fidelium defunctorum semel in anno est*

est fieri instituta in ecclesia &c. et Extrema animadvertunt in eos, qui ludunt tesseres ad aleam et qui simpliciter taxillos iactant.

III. fol. 11. Incipiunt notabilia de septem peccatis capitalibus. Praemittitur tamen etiam Institutio de Peccato generatim, de originali, veniali et mortali. Initium: *Peccatum est preuaricatio legis diuine &c.* Rubricae, ut supra.

IV. fol. 15. p. 2. Incipit tractatus de septem sacramentis sine quibus nemo saluari (potest?) Ideo lege ea. Initium: *Misericors et miserator dominus cuius misericordie &c.* Agit de Sacramentis in genere et specie, item de Donis Spiritus sancti, de VIII. Beatitudinibus, demum de Latria et Dulia rursus per Rubricas.

V. fol. 32. Post Exempla quaedam et Effata ad Principes potissimum pertinentia sequuntur Excerpta ex *Aristotelis Ethicis et Politicis* ordine Librorum.

VI. fol. 43. Liber, ut e calce praeoccupo, de doctrina dicendi et tacendi ab albertano causidico brisienti de ore (ora) sancte Agathe compositus missus ad stephanum filium suum sub anno domini 1245. mense decembris. Dixi jam bis de hoc Opusculo hoc Vol. ut habes in Indice.

VII. fol. 49. Tractatus ἀθεσπορος de Actibus Humanis per Aphorismos procedens hujus initii: *Aristoteles macedo princeps philosophorum quem deus in esse produxit ut secreta nature reuelaret de rebus quarum speculatores et factores existimus seriose edocuit.* Nunc

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

uero de principijs actuum humanorum dicendum sententiam aristotelis et diuini hominis euidentiam imitando. &c. Abrumpitur in Quaestione: *Utrum suggestio dyamonie (sic) insit per speciem delectabilem uel tristabilem, seu utroque modo.*

DLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 657 XII. Folior. 52. 8. eleganter exaratus, rubricis distinctus, et J. Alex. Brassicani Icti primum, tum Joh. Fabri Ep. nostri Κρημα titulum praefert: *Incipit Dyalogus de ecclesiastico principatu; et ita ingreditur: Omnis ecclesiastici ordinis principatus in apostolicis sacerdotibus fundatur, et regitur a primordio nascentis ecclesie. que ab apostolis est fundata et eorum doctrinis toto terrarum orbe dilatata. Hec est celestis regina eterni regis sponsa. cuius decorem admirans propheta canit in psalmo. Assistit regina a dextris tuis in uestitu deaurato. circumdata uarietate. Cuius tempora cum secundum lunaris cursus mutationem per incrementa et decrementa constat uariari. de statu illius aliqua scribere proposui. hac uidelicet intentione. ut et animus meus in hoc opusculo meditando habeat exercitationem. et legentes qualemcunque capiant edificationem. Patris autem mei spiritualis domini Erbonis obediens iussioni. sic eius uoluntati. et legentium deseruire cupio utilitati. ut per interrogationem et responsonem decurrat oratio. et inde libellus iste dyalogus uocari debeat.* Hic igitur

N

Collo-